





Q. D. B. V
DISSERTATIO JURIDICA

DE

CAVSIS
CONTVMACIAM
EXCVSANTIBVS

QVAM

SVB PRAESIDIO

IOH. GODOFREDI KRAVSI, D.
INSTIT. IMPER. P. P. CVRIAE PROVINCIALIS
CABINATVS ET FACVLTAT. JURID. WITTEM-
BERGENSIS, NEC NON JVDICII PROVINCIALIS
IN MARCHIONATV LVSATIAE INFERIO-
RIS ASSESSORIS

IN ALMA LEVCOREA

DIE XXVIII. SEPTEMBR. 1729

PLACIDO ERVDITORVM JVDICIO

SVBMITTIT

RESPONDENS

CHRIST. GODOFREDVS HOFFMANN,
FRAVENSTEIN-MISN.

WITTEMBERGÆ, EX OFFICINA SCHLOMACHIANA.

DISSSERTATIO JURIDICA
O. D. B. V.
31

DE
CAUSIS
CONTUMACIAM
EXCUSANTIBUS

AVAM
ZNR PRÆSIDI
OH. GODORREDI KRAVSD.
SISTIT IMPER. P. C. C. ARIÆ PROVINCIALIS
SCABINATUS ET FACULTATIS JURID. WITTE
BERGENSIS, NUNC NON JUD. II PROVINCIALIS
IN MARCHIONATU SASSONIAE INFERIO
RIS ASSessoris

IN AIMA LEVCORE
PLACIDO ERUDITORVM JVDICIO
RESPONDENS
CHRIST. GODTLIBVS HOFFMANN
AVAM
NITTEMARCKE, EX OFFICINA SCHOENMANN



V I R O

PRAENOBILISSIMO, AMPLISSIMO EX-
CELLENTISSIMOQVE

D O M I N O

CHRISTIANO
EHRENFREDO

Boc,

POTENTISS. POLON. REGI ELECTORI-
QUE SAX. A COMMISSIONIBVS NEC NON PRAE-
RECTVRAE SCHWARZENBERGENSIS ET
CROTTENDORFFENSIS QVAESTORI
GRAVISSIMO,

PATRONO ATQVE PATRVELI
SVO MAXIME SVSPICIENDO.

NEC NON
V I R O
NOBILISSIMO AMPLISSIMO ATQVE
CONSULTISSIMO

DOMINO
ELIAE
LINDNERO

JVRE-CONSULTO COMMENTATISSIMO
AC MATHEMATICO FAMIGERATISSIMO

FAVORI PATRVELLI
ATQVE COMPATRI SVO SYMMOPERE
COLENDO.

ITEMQVE

V I R O

NOBILISSIMO AMPLISSIMO ATQVE
DOCTISSIMO,

DOMINO

GEORG. GODOFREDO
HOFFMANNO,

JVRE - CONSVLTO CELEBERRIMO,
PRAEFECTVRAE FRAVENSTEINENSIS ACTVARIO
NEC NON DORFF-CHEMNIZI ET PRETZ-
CHENDORFII JVSTITIARIO VIGI-
LANTISSIMO

PARENTI SVO OMNI PIETA-
TIS CVLTV DEVENERANDO.

CVM VOTO

PERPETVAE FELICITATIS

HANC DISSERTATIONEM

DOCTISSIMO
QVA PAR EST,

ANIMI SVBMISSIONE ATQVE PIETATE

GEORG. GODDORFEDO
HOFFMANNINO

D. D. D.

CONSULTO CEBERRIMO,
PRAEFECTORE TRAVNSYLVANICIS ACTVARIIS
NEC NON DOREI CHIMICI ET PRAE-
CHENDORFII VESTIARIO VIGI-

PARENTI SVO OMNI PIETA-
TIS CULTV PRAEFERENDO
RESPONDENS.





§. I.
Contumacia, quæ est erga ju-
dicem commissa inobedien-
tia, vel a tumendo, sive
contumendo, propterea,
quod, qui contumaces sunt,
pertinacia, vel superbia, qua-
si tumere videntur, autore
NISO, vel etiam, ut VELI-
VS LONGVS existimat, a

contemnendo dicta, quod ea judicis autoritas illuditur,
justitiæque cursus impeditur, quemadmodum refert
MENAG. in *Amoenit. Jur. Civ. Cap. 39. verb. Contumax*,
CUIAC. XVIII. O. 30. *§. ad Cap. i. X. de dolo §. Contum.*
BEKM. de ORIG. LING. LAT. p. uos. quantum detri-
menti, & quidem merito, dum protervia, improban-
daque inobedientia impune ferenda non est, causis,
in jus vocatis, afferant litigiosi, potissimum hodie in
Saxonia, ubi rigori pœnæ, qua hominum audacia con-
tumacium coerceri reprimique solet, per Ordinationem

4
 Judicialem Recognitam durior asperitas addita, rerum
 Magistra, quotidiana docet probatque satis experientia.

§. II.

Tantum enim abest, ut contumacia moras neſtat,
 quibus inique protrahantur lites, quemadmodum
 putat iſtud Advocatorum genus, cui artes & Sycophan-
 tia rabulistica & remorae cauſarum, familiares, cui-
 que res quaeritur magis, quam Clientum fides, &
 quod conſceleratis depeſtionibus, ſuae opis egentes
 ſpoliat atque denudat, ut CONSTANTINVS ait in l.
 i. C. Theod. de poſtul. ut potius contumaciae temeritas
 caſſibus mille cauſam impediatur, quibus vix expedi-
 ri poteſt, ſaeppiſſimeque etiam ad perniciem, cum adeo pro-
 ſtigata nondum videretur, exitiumque ducat, inſigni-
 ter miſereque perdat.

§. III.

Atque his naufragiis detrimentofiſis & actor, & reus,
 contumaces, exponuntur. Quamvis enim Acto-
 rum contumacia tam frequens non ſit, quam quidem
 reorum, propterea, quod actorum curae & cogitatio-
 nes in cauſis, deductis in iudicium, admodum evigi-
 lant, dum finem controverſiae quam cellerrime con-
 ſtitui peroprant, unde raro contingit, ut terminos pra-
 ſcriptos negligant, & contumaciter emanent, contra
 vero rei quoquo modo, ac gnaviter quaeritis ſubterfugi-
 ſis, quibus litem protelare poſſint, contrarium faciunt,
 qua de re fugientes appellantur, iſſque ad fugere ut
 pro-

proprium quoddam adscribitur *Gloss. in Cap. Causam, que 3. vers. ad domum X. de dolo & contum.* æque tamen vulnera causis per contumaciam inurunt actores, quibus mederi deinde tam facile non possunt. Equidem regerere poteris, rei partes favorabiles existere partibus actoris, ut ideo de Reo tam duriter sentiendum non videatur. At enim vero pari passu ambulant hodie in Saxonia actor & reus, contumaces. Et quid? qua terminum primum, secundum *O. J. S. R. tit. X.* actoris partes potius censendæ favorabiles. Etenim hic si contumax in primo termino existit, non statim causam amittit perditque, sed condemnatur in expensarum restitutionem, & continuationem actionis intra terminum Saxonicum sub pena præclasi, ut videlicet hac neglecta non amplius audiatur. Contra vero reus, qui statim sub præjudicio, vel sub pena confessi & convicti, vel recogniti, &c. citatur, causam prorsus amittere potest per contumaciae temeritatem, quæ varie committi solet, quum videlicet reus, rite vocatus, non venit, nec sui præsentiam facit *L. contumacia, & L. de unoquoque §. 1. ff. de re jud. L. properandum C. de jud. Nov. tit. 5. si vero causam, spec. tit. de contum. §. 1. in principio. Castrenf. in dict. L. contumacia. L. consentaneum §. 1. & L. 3. denunciations Cod. quomod. & quando Index Cap. 2. X. de dol. & contum. vel malitiose se occulcat, latitat, se abnegat, vel impedit, quo minus reperiatur, vel ad se citatio perveniat, c. quoniam §. porro X. ut lit. non contest. L. FULCINIVS 7. §. quid sit autem latitare 4. & §. illud sciendum est ff. quibus ex causis in possess. eat. arg. l. si dictum fuerit, §. si presente promissore*

missore ff. de act. & oblig. MARIAN. SOCIN. in c. quomodo frequenter, & in c. porro in 6. not. ut lit. non contestat. vel ante rem confectam sine licentia iudicis iudicio recedat, SICHARD. in L. sancimus §. num. 5. Cod. de iudic. SPECVL. tit. d. cit. §. in prim. Non enim sufficit comparere coram iudice, sed etiam necesse est, cum ejusdem venia recedere, alias iste recessus pro contumacia habetur, text. in CAP. prout, & de dol. & contum. CAP. certum II. quest. 3. Item committitur contumacia, si a iudice quis satisfacere, exhibere, solvere iussus, ei non obtemperet, Soc. in d. c. quomodo frequenter, & in d. c. porro in 6. not. ut lit. non contestat. h. debitoribus ff. de iud. vel non restituat, leg. qui restituere, ff. de rei vind. nec respondeat, leg. etate §. qui tacuit, ff. de interrogat. act.

§. IV.

UTI vero Medicus indefesso eo niti debet studio, ut de morbis iustum ferat iudicium, ne id, quicquid salubritatis nonnullis inest morbis, frivole condemnent, adeoque injuste ægrotantem jugulet, sic ingenius iudicis animus prudentiam sibi commendatam habebit, ut nihil inconsiderate, aut ex falsis præsumtionibus & opinionibus decernat, sed omnes causas & circumstantias ante exacte & provide cernat & discernat, suum cuique deinde tribuat, oppressis tutelam, dubiis consilium, omnibus innocentiam, secundum LI-PSIVM Centur. 3. Epist. 97. Quid enim; unica circumstantia totam rem facile immutat & invertit. Hinc quam facile commissa videtur contumacia, tam facile pari-

pariter causa & ratio, quæ excusat eandem, adesse potest. Ideoque cum humanitatis jure postulari potest, ut non prius quis damnetur, quam universa cognoverit: (nam se sacrilegis & proditoribus & veneficis potestas defendendi sui datur, nec prædamnari quæquam in cognita causa licet, non injuste petere videmur, ut, si quis erit ille, qui incidit in hæc, si leget, perlegat, si audiet, sententiam differat in extremum LACTANTIUS Lib. 5. cap. 7. tum cavere pro viribus debet, quisquis aliquem judicaturus est, quod PLATO Lib. XII. de LI. profiterur, ne sponte aut invito supplicium multamve falso inferat, judicium enim virgo quadam pudica vere esse dicitur. Atque, ut luculentius constet, unica sæpe circumstantia rem facile immutari, iis de causis, quæ contumaciam excusant, breviter succinctæque agemus. Hæ enim, dum faciunt dolum abesse, & cessare contentum, quem jura requirunt L. 53. §. 1. ff. de re judic. L. 2. ff. si quis caut. in jud. sist. faciunt quoque cessare contumaciam, ut sententia absenti non noceat, PEREZ in Cod. ad Tit. quom. & quand. jud. num. 57.

§. V.

UT vero in more positum est Imperantibus, in amplioribus præsertim regnis aut rebus publicis, justitiæ, meliori ordine, ac feliciori successu, administrandæ gratia, diversa non solum constituere judicia, diversosque judices ac Magistratus illis præficere, sed etiam suos cuique limites, ratione districtum, nec non personarum atque causarum adsignare, intra quos tantum jus dicendi singulis competat; ita integrum non est

DE CAUSIS CONTUMACIAM

est alteri iudicio ac iudici, alterius jura involare, atque
 circulos alienæ jurisdictionis intempestiva atque hand
 competente jurisdictionis, non nisi intra territorium
 se terminantis, usurpatione turbare. Quæ res quo ma-
 jori digna laude, eo magis vituperandus est conatus,
 quum ampliare limites jurisdictionis, & extendere ex-
 tra suos terminos iudices laborant, cujus rei luculentæ,
 eaque plurima, quotidie fere habemus exempla, dum
 coram se respondere reos jubent iudices, in quos ipsis
 nulla competit jurisdictionis, adeoque emissis ad eos cita-
 tionibus in iudicium, cui præsent, vocant. Quo facto
 deinde minime raro accidit, ut ab ejusmodi iudice vo-
 cati interdum veniant, seque alienæ jurisdictioni rebus
 ipsis & factis simpliciter, exceptione fori incompeten-
 tis non opposita, subjiciant, aliquid nempe agendo, aut
 suscipiendo, quod agnitionem jurisdictionis arguit; alii
 contra vocati quidem veniunt, atque in iudicio vel ad-
 versarii actionem cognoscunt, vel respondent, sed sal-
 tem in eventum litem contestantur, allegata fori incom-
 petentis exceptione, qua opposita iudex incompetens mi-
 nime agnitus censetur, nec propterea contumax vide-
 ri potest reus, siquidem iudici, dubie tantum incom-
 petenti, utique parendum, sed exceptionem fori decli-
 natoriam opponere licet, SCHWENDENDÖRF. ad
 PROC. FIBIG. c. 2. p. 180. KLOCK. v. i. c. 7. n. 1083. Su-
 per qua tamen ipse iudex cognoscit, BRUNNEM in Pr.
 Ctd. c. 7. n. 8. Sed ante hanc litem finitam nihil plane
 decernere potest, MEV. p. 2. Di. 7. Alii demum sim-
 pliciter emanere possunt, absque poena contumaciæ,
 siquidem iudex notorie sit incompetens, l. ult. ff. de ju-
 risd.

*residēt. l. 53. ff. de re jud. vel alius, nullam plane jurisdi-
ctionem habens, B. STRYK. in Pr. for. c. 5. §. 17.*

§. VI

DEinde, sicuti in ipso iudicio maxime necesse est, a iudice iustitiæ rationem haberi, quoniam inde iudicis nomen derivat ISIDOR. in *Etymol.* eumque affectibus uacare, utpote qui iustitiæ maxime obsistunt, quod, dicente SENECA, *8. Ep. 60.* rem consilio & cogitatione videre non sinunt, sicut amantes de fornis nihil iudicare aiebat QVINTIL. *lib. 6. c. 3.* quod oculorum sensum amor premeret; ita maximopere optandum, ut hæc observarent iudices curatius, omnesque affectus in tribunalis vestibulo exuerent, nec dememinissent, propterea solere iudices sedere, *Nov. 71. C. Sancimus in med. l. Quisquis, §. ult. C. de postul. l. A. procedente C. de dilat.* ut tranquillitatis simul admoneantur, eaque de re apud Areopagitas ἀνευ πείρας καὶ προουλις causas fuisse peroratas, LVCIAN. in *Hermotim.* et ANACHARS. ARISTOT. in *pr. Rhet.* & quidem noctu, ALEX. ab ALEXANDR. *l. 3. c. 5.* quo omnes excluderentur perturbationes. At enim vero cum iustitiam, quæ ex norma legis, gratisque, impertienda, ex affectu sæpe atque amore, iudices tribuant, eosque minime raro non iustitiæ defensio, sed amor pretii, spesque nummi, provocet; tum fieri sane aliter nequit, quam, ut sæpenumero nomine suspecti iudicis insigniantur. Quod quo turpius est, quia indignum reddit iudicem officio, eo magis inde occasionem excipiendi nanciscitur alter, ut istum recuset, quod licet omnino, HORN. *Cl. 2. R. 41.*

B

HORN.

HORN. *Cl. 15. R. 23.* ejusque dicto audiens non fit, sine pœna contumaciæ. Equidem, suspecto judici simpliciter non parendum esse, neutiquam statuimus, quin potius citatum comparere teneri, asserimus, licere tamen exceptionem causamque suspicionis allegare, *L. fin. C. de judic.* SCHWENDENDÖRFF. *ad Proc. Fibig. alleg. loc.* Qua allegatione facta non iudex recusatus, sed arbitri, vel iudex superior, judicant, omni vero actui, qui a iudice post recusationem peragitur, præsertim vero ejus sententiæ, super exceptione suspicionis latæ, impune non paretur, KLOCK. *Vol. 1. Consil. 39. n. 39.* MEY. *P. 2. Det. 31.*

§. VII.

Nec minus ipsa Citatio excusandi causas suppeditare potest. Ut enim commissa intelligatur contumacia, requiritur, ut quis sit citatus, *L. 53. de re jud. vel publice,* per Edictum in trium Dominorum territorii, quum videlicet reus latitat, & inveniri nequit, *arg. Clem. ult. de Judic. Noy. 134. c. 5. GAIL. I. Obs. 56. n. 7.* vel privatim, aut ore tenus, aut per literas. Quo in modo procedendi si peccatum, contumaciæ pœna irrogari nequit. Maxime vero requiritur legalis insinuatio, ut citatus sciat, se esse citatum. Toties enim pro contumace habendus, quoties scientia citationis imbutus absque causa tamen non comparuit, *L. 73. fin. de Jud. l. 23. S. ult. de appellat.* Quapropter æquirari quam maxime conveniens est, ut in orali citatione ipsi vocando denunciatio in faciem fiat, maxime prima vice. Quod si tamen ejus copia haberi nequit, sufficit, si ad domum denunciatio facta, id est, alicui domesticorum denunciata, sit, *arg. c. 3. et c. ult.*

ult. X. de dol. et contum. id quod etiam ratione citationis, quæ in scriptis fit, notari meretur, eaque per nuncium juratum regulariter insinuari, et in manum citandi tradi debet, quod si pariter fieri nequit, etiam sufficiens est facta ad domum insinuatio, ubi, si domesticus citationem recipere nolit, eandem in ejus conspectu deponi sufficit, *Illustr. Dn. de WERNHER P. 6. Obs. 285.* In edictali, seu publica, citatione affixio publica est loco insinuationis. Constat etiam de insinuatione Citationis ex Actis oportet, alias ad contumaciam procedi non potest, nec valet sententia, sed Processus annullatur *L. bec. §. 11. ex quibus caus. in possess. GAIL. I. Obs. 54. n. 7. O. L. S. R. ad Tit. IV. §. 4.*

§. VIII.

Citationem ad diem feriatum expresse fieri non posse, certum est, *L. 2. C. de feriis, MEV. P. 2. Dec. 276.* Sed, si terminus, in citatione definitus, in diem feriatum forte incidat, multis in locis receptum est, ut propterea non vitietur citatio, sed citatus altero, eoque proxime sequenti die, comparere teneatur. Quo facit in Jure Canon. *Cum dilecti 6. X. de Dol. & Contum. BVSIVS ad L. i. ff. de in Jus voc. n. 15. STRYK Us. Mod. P. i. t. de in jus voc. and. th. 10.* Quæ quidem praxis Saxoniorum etiam Collegiorum usui hactenus convenit, ut obtineat, si modo citationi clausula expresse inserta sit, ut, si illa dies non fuerit juridica, citatus die sequenti juridica comparere debeat. Hoc vero omisso, si citatus non comparuerit, pro contumace haberi, aut contra ipsum procedi nequit. Vid. *Dn. RIVIN. ad O. P. S. tit. IV. Enunc. 53. Illustr. Dn. de WERNHER*

P. I. Obs. 235. Sed quid? si citatio diebus feriatis insinuatata fuerit? Videtur B. BRUNNEM. *ad l. ult. C. de Feriis, n. 3.* citationem tali die insinuatam omni effectu destitui. Cujus sententiam recipi, æquum fortasse, & pium fuerit, ne feriarum, præsertim divinarum, vincula laxentur, utpote quarum violatio & alias mille modis contingit, Dn. STRYK. *Us. Mod. Pand. tit. de in jus voc. §. 10.* Enimvero constanti judiciorum usu receptum est, ut citatio ad diem non feriarum, die etiam feriato, fieri possit. Quæ praxis hac sola ratione defendi videtur posse, quod citationis insinuatio ad actus judiciales haud pertineat, sed extrajudicialis sit, ac domi fieri possit. Add. GAIL. *L. 1. Obs. 53. n. 6. seq. BLVM. Proc. Cam. T. 65. n. 26.* Ita SCABINI LIPSIENSES apud Dn. RIVIN. *ad O. P. S. Tit. 4. Enunc. si. verb. Diemeil aber dennoch die Insinuatio Citationis auch diebus feriatis heutiges Tages wohl geschehen mag &c.*

§. IX.

IN Saxonia nostra, ubi primæ Citationes sub præjudicio statim emittuntur, vel, ubi fatale quoddam pendet ab ipso termino, necessum est, ut spatium Saxonicum concedatur, O. J. S. R. *ad Tit. IV. §. 1.* Quod si vero indultum non fuerit, & citatio legitimum temporis spatium non contineat, l. 68. *de Judic. l. 72. eod. l. 8. & Auth. seq. C. quom. & quand. jud. contumax quis non est, FELIN. in c. quoniam n. X. de probat. Dn. CARPZOV. Jurispr. For. P. 1. c. 2. def. 24.* Tantum tamen abest, ut citatus, legitimo temporis spatio non indulto, simpliciter emanere queat. Hoc enim factio in expensarum re-

stitutionem condemnari, & responsio ipsi sub comminatione injungi poterit; ut potius comparere omnino, & exceptione angusti termini se tueri teneatur, litis contestatione eventualiter annexa, *O. J. S. R. ad Tit. XI. §. 1.* Plane si reus in termino adfit, & omiffa hac exceptione, inanibus subterfugiis aliis responsionem declinare velit, hodie sententiæ de præjudicio, sub quo citatus erat reus, infligendo, deque restituendis expensis facile locus erit. Etenim citationis vitium purgatur per comparitionem spontaneam, & omiffa exceptio angusti termini, tanquam jus partis a iudice ex officio suppleri haud solet, *Dn. RIVIN. ad O. P. S. Tit. 10. Enunc. 3. Illustr. Dn. de WERNHER P. I. Obs. 346.* Atque sic de causis Civilibus res manifesta est, per expressos textus, quos allegavimus. At non minus ad Inquisitiones hæc dispositio extendenda videtur; tum, quod circa has aliud nullibi cautum est, tum, quod illæ majoris longe momenti, quam causæ civiles sunt, adeoque reum pro contumace minus haberi oportet, nisi spatium legale ipsi indultum fuerit; cum non satis congruens sit, citatus præcludi a defensione inquisitum, & pro confesso atque convicto haberi, quam reum civili iudicio pulsatum. Atque hanc sententiam Collegia Saxonica cum VITEMBERGENSIA, tum LIPSIENSIA pronunciano tenent. *Illustr. Dn. de WERNHER P. I. Obs. 343.*

§. X.

Nec minus a contumacia excusari potest citatus, si citationi non insertum legitur 1) nomen iudicis, minimum nomen officii, quia exinde constare potest,

num sit, vel non sit, iudex competens, 2) nomen citati, quia inde, quis citetur, intelligendum. Quod loci attinet denominationem, distincte respondendum videtur. Aut enim iudex citat, qui locum habet ordinarium, & hoc in casu specialis locus ut Citationi inferatur, non est opus, sed sufficit citatio, *vor uns / vor mir zu erscheinen* / ut reus comparere teneatur; aut citat Commissarius, qui in certo aliquo & fixo loco jus haud reddit. Qui si aliquem citandum curat, locum designari, oportet, ubi comparandum sit; quo praetermissio, citatus, etsi emanerit, poenam contumaciae haud incurrit, GAIL. L. 1. O. 52. n. 1. GREV. L. 1. Concl. 52. n. 1. CARPZOV. Proc. Tit. 1. art. 2. §. 5. n. 34. seqq. *Illustr. Dn. de WERNHER P. VI. Obs. 298.* Tandem etiam pro contumace haberi non potest, qui a Commissario citatus, emanet, si is nullo Actuario instructus fuerit. Equidem verum esse putamus, pro confessio & convicto haberi, qui contumax est, & sub comminatione citatus sui copiam in termino non facit, eumque in causa etiam criminali condemnari, si modo poena non sit corporis afflictiva; alias enim ficta confessio ad condemnandum haud sufficit, sed tantum torturae locum facit. Enimvero omnino casu supponitur, iudicium rite instructum esse; quo specialiter Actuarius referri debet; alias fidem non merentur Acta, adeoque nec condemnationi, ex capite contumaciae, locus est. *Illustr. Dn. de WERNHER P. VII. Obs. 72.*

s. XI.

PRæterea etiam non semper in viribus subjectorum est, omni tempore omnique loco legum præceptis æque satisfacere, cum sæpe casus fortuiti, qui extra omnem humanæ voluntatis potestatem sunt, faciant, quominus etiam obloquentissimi officii rationes explere possint. Hinc enascuntur omnino excusationes, quæ aliquem in certo casu constitutum ab onere & obligatione præcepti judicialis absoluunt. Ad has impedimenta legitima jure maximo erunt referenda, quæ nihil aliud sunt, quam causæ excusationum, legibus approbatæ. Circa hujus uocis originem et usurpationem, ut pro vulgato differendi more sudemus, non est opus, siquidem scire satis putamus, legitima impedimenta Germanis communi ore dici Eehafft, et derivari ab antiquo vocabulo Ee, quod Saxonibus olim significavit legem, vid. *Sächsl. Land-Recht in præf.* verb. *Nit halde wir widder syne Ee, und syne Gebot / in MSto Jensen.* add. *Schwäbisch Land-Recht in Präfat.* von dem alten und neuen *Ee / & cap. 397.* Unde Eehafft idem est, quod causa legitima emanendi, eine jegliche redliche Ursache der Entschuldigung / & vocatur etiam Saxonibus stylo clariori: echte Noth / sive legitima, seu legibus excepta, necessitas, quæ legi subjici salua justitia & æquitate non potest, quo pertinet Canon Juris germanici: *Noth hat kein Gebot / vid. CHRISTOPH LEHMANN in Politischen Blumen-Garten / p. 334. & HERTIVS de paroemiis Lib. III. paroem. IV.* Illud vero observandum videtur, impedimentorum legitimorum nomine

NON

non venire Jurisconsultis omnes causas excusationum, sed stricte ea obstacula, quæ factum aliquod debitum in iudicio præstandum impediunt. Sic causæ excusationum a tutela non dicuntur legitima impedimenta, uti illæ, quæ tantum in modo procedendi animadvertuntur: sive quæ obstant, quo minus alteruter ex litigatoribus, stato iudicii die, cautionibus datis pareat, & in iudicio sistatur.

§. XII.

Legitima impedimenta, quæ iudici non parenti iurissimam tribuunt excusationem, ut contumaciæ intimulari nequeat, varia sunt. In consuetudinariis Saxonum statutis, quæ nobis illustris Epko de REPKAV scripto conservavit, quatuor recensentur: Vier Sachen sind / die ehehaffte Noth heissen / Gefängniß / Krankheit / Walfahrten auffer Landes / und des Reichs Dienst. Welcher eine dieser vier Sachen den Mann irret / daß er zu Geding nicht kommt / er bleibet es ohne Schaden. Vid. Land-R. L. 2. art. 7. arg. l. 3. ex quibus caus. maj. in integr. l. absentia, 140. de R. J. Gilhaus. arbor. jud. crim. c. 5. ram. 1. n. 19. Ungep. ad tit. X. de dol. & contum. Conf. Jus statut. Nordbus. im Buch der Nordhausischen Einigung / L. 2. art. 59. At enim vero cum status humani vicissitudines ita comparatæ, ut omnes casus, quibus impedimur in officio præstando, prævideri non possint, plures omnino dantur causæ, contumaciam excusantes. Antea vero, quam plures excusandi causas afferamus, perlustremus, fas est, eas, quas modo recensuimus. Ex iis primo loco posita captivitas vera contumaciam excusans ratio

tio sine dubio putanda. Quid enim? nobis non moventibus notum est, siquidem consentiunt primæ ipsius juris omnisque doctrinæ moralis principia, actus, qui ita comparati sunt, ut penes autorem non fuerit, quo minus fierent, vel non fierent, in pœnam imputari non posse. Jam vero in captivi facultate non est, quippe qui majori vi prohibetur, ut pareat tali in casu jus dicendi potestatem habenti, ideoque in pœnam ei quicquam imputari nequit. Vid. Jo. ZANGER *de Except.* p. 25. §. 9. n. 13. MYNSINGER *cent. 4. Obs.* 57. LANGIUS *in Process.* c. 40. n. 67. CARPZOV. *J. F. R. S. Part. 1. Constit. 9. def.* 7. BEVST. *de juramentis fol.* 23. n. 92. *idem,* pag. 221. n. 7. WEHNER *in Obser. Pract.* p. 85. 86. 87. RVDINGERS *in Observat. Cent. 2. Observ.* 10. Quin imo nihil interest, an a latronibus, an ab hoste captus fuerit, etiamsi illius culpa præcesserit, ut si quis perreptans castra hostium captus fuerit, aut propter delictum in loco domicilii incarceratus. Et quod de carcere dicitur, idem de arresto personali intelligendum; arresto enim personali si quis detinetur, impedimentum allegare poterit, *arg. l. 28. §. 1. ff. ex quibus causis major,* BRUNNEM. *in Comment. Cod. l. 2. quibus ex causis majores,* n. 6. Violenta quoque detentio idem operatur, etiamsi a privato fiat. De violentia autem constare debet, si pro impedimento legali reputari debeat. Si enim reus volens pateretur se detineri, forte quod alter ob amicitiam reum proficiscentem hospicio exciperet, & fessum refoveret, interim vero judicii dies existeret, impedimentum legale non præstaret.

C

§. XIII.

§. XIII.

DEinde excusat a contumacia tanquam legitimum impedimentum morbus, CARPZOV. *Tit. 8. art. 2. n. 41.* ZANGER *de Except. P. 2. c. 9. n. 13. L. Contumacia 53. S. pœnam, 2. l. quesitum, 60. ff. de re judicat.* SPEKCHAN. *Cent. 1. quest. 59. n. 51.* LANGIVS *in Processu c. 40. n. 66.* Non vero omnis, sed fonticus morbus excusat; fonticus vero morbus dicitur quasi fons, hoc est nocens, eo quod plurimum noceat, & qui gravis est, & magni momenti, hominem manifesto exponens periculo, PAULZACH. *in question. medico. legal. l. 2. tit. 3. qu. 4. n. 6. 7.* Eum enim morbum Juris Consulti fonticum appellant; qui vim graviter nocendi habet, *l. quesitum 60. ff. de re judicat. l. morbus 113. ff. de verb. signif. l. animi, 65. S. quotiens, 1. ff. de Edilitio Edicto, l. ob que vitia 4. S. idem ait, 6. ff. d. t.* Levis ergo febricula, quæ jam sperni potest, & quæ non magnæ considerationis est, pro legali impedimento non reputatur, *l. quesitum 60. ff. de re judicat. S. l. 4. S. fin. ff. de Edilit. Edict.* præcipue si talis, ut vix hominem a consuetis muniis obeundis impediat, si vero ita se habeat febris, ut vim graviter nocendi habeat, & certo quasi tramite hominem ad interitum ducere velle videatur, pro legali impedimento utique reputatur.

§. XIV.

TUm peregrinatio extra fines pariter impedit, & excusat a contumacia, Jacob Schults *in addit. ad* MATTH.

MATTH. COLER. p. 1. decis. 104. n. 33. BEVST. de *Juramentis* fol. 23. n. 92. & folio 221. n. 7. CARPZOV. F. F. R. S. Part. I. *Constit.* 9. def. 7. & in *Processu* tit. 8. art. 2. n. 41. Hinc studiorum gratia qui peregrinatur, impeditus esse censetur, quia ex causa probabili abest, l. 27. ff. *ex quibus causis major*, accedit & hoc, quod illorum causa sit maxime favorabilis, & multa privilegia ipsis sint concessa, præcipue a Friderico Imperatore in *Aut. habita, C. ne filios pro patre*. Mercatores quoque licet sui commodi & lucri causa absint, si ad nundinas vadunt, & interim indefensi fuerunt, restituntur ex clausula generali, l. 28. ff. *ex quibus causis major*. Objicitur, si quis iter extra fines terræ susceperit pietatis causa: Wann einer Wallfahrten auffer dem Lande angestellet/ contra ipsum interea actio non institui, nec illa pro contumace accusari poterat. Interim observanda, quæ monet GLOSSATOR *Juris Saxonici ad d. L. 11. d. VII. verbis*: Die dritte ist Gottesdienst. Disß vor ihm aber doch/ so fern er desselbigen hat begunst gehabt/ ehe er von der Sache gewußt/ drum er zu Ding hat kommen sollen/ dann sonst hielffe/ oder entschuldigte es ihn nicht.

§. XV.

Tandem, der Reichs-Dienst/ uti loquitur Jus Saxonicum, seu absentia reipublicæ causa impedit, & excusat a contumacia. Magnus enim est favor eorum, qui reipublicæ immediato nexu adstricti operantur. Hinc Legatus a principe missus impedimentum omnino habet, cum ejus absentia laudabilis & necessaria, JO. ZANGER

tr. de Except. P. 2. c. 9. n. 13. BRUNNEM. ad paralit. WESENBECKII tit. ex quibus causis major. Quest. 3. & 4. Deinde miles ex causa necessaria & probali abest, imo quam maxime republicæ causa abesse dicitur, *l. ab hostibus is. §. 2. ff. ex quibus causis major. leg. ex miles 34. & l. 35. §. ult. d. l.* Omnino singulare est, quod milites etiam urbanici impedimentum allegare possint, gaudeantque beneficio restitutionis, *l. 53. §. 4. ex quibus causis major. BRUNNEM. in Comment. ff. ad d. l. 53.* Cujus impedimenti ratio videtur esse, quod rebus suis plane superesse non possunt, cum nullam certam subsistendi spem habeant, sed semper ad abeundum sint parati, aut sane paratos esse oporteat; si enim alio proficisci jubentur, parere necessum habent: nec enim ibi quis esse intelligitur, ubi tantum ad tempus, vel casu, reperitur, *ODDVS de restit. p. 1. quest. 6. art. 4. HILLIGER ad DONELLVM l. 21. c. 5. lit. L.* accedit & hoc, quod, cum solam armorum curam eos gerere oporteat, minus videntur posse curare sua negotia; facit & huc ratio generalis, quod milites a signis suis discedere non possint, *l. penult. ff. ex quibus causis major.* Interim horum omnium absentia eum effectum non habet, ut ne per Mandatarium quidem adparere, vel causam excusationis actis inferere teneantur; Sic enim omnem iudicii vim ac potestatem talibus eludere liceret.

§. XVI.

PRÆTER dictas quatuor excusandi causas, plures nunc, eaque notari omnino dignæ, adducendæ sunt. Hinc pariter excusandi contumaciæ causa est, si morbum conjugis

jugis, aut liberorum, eumque graviolem; quis allegare
 fato suo cogatur, DAMHOVDER *in praxi Crim. c. 25. n. 18.* CARPZ.
in Process. Jur. tit. 8. art. 2. n. 47. ZOBEL *p. 1. differ. 17. n. 2.*
 ZANGER *de except. Part. 2. cap. 9. n. 13.* CARPZ. *J. F. R. S. P. I.*
Const. 9. def. 3. LANGIVS *in Proc. Jur. Civ. & Sax. c. 40. n. 66. 67.*
 Horum enim morbi facile optimum quemque ita anxi-
 um reddere possunt, ut negotiorum judicialium & fatali-
 um obliviscatur. Vir etiam sapiens ac prudens sibi
 junctos, & suo sanguine prognatos, ut seipsum dili-
 git, ac incolumes conservare nititur. Debetur ita-
 que innatae, & a Numine inscriptae, propensione uti-
 tique privilegium a poena, quae saltem ad averten-
 dum dolum & culpam inventa fuit. Et aequita-
 ti conveniens utique est, illud, quod omnibus acci-
 dere potest, singulis non imputari in poenam. Ne-
 que hoc Romanorum juri, vid. HERMOGENIANVS
l. 53. §. 2. ff. de re judicat. neque nostri fori obser-
 vantiae contrariatur, cum major utique causa sit suo-
 rum valetudo, quam res quaequam litigiosa. Non-
 nunquam & impedimentum legitimum praestat mor-
 bus Advocati, MARANT. *in speculo suo part. 6. tit. de*
contumacia n. 2. seqq. ZANGER *de except. part. 2.*
c. 9. n. 13. CARPZOV. *J. F. R. S. P. I. Constit. 9. def.*
9. & in Proc. tit. 7. art. 2. n. 48. MENOCH. *lib.*
de arbitr. Jud. quest. Cent. 2. Cas. 153. LANGIVS *in*
Process. C. 40. n. 71. MATTH. WESENBECIUS *ad*
ff. tit. si quis caut. addat. HAHNIVS *in not. ad Eum.*
b. 1. Quod tamen cum aliquo temperamento intel-
 ligendum, si reus de facili alium Advocatum, vel
 Pro-

Procuratorem habere non potuit. Si enim potuisset alium Advocatum habere, & illum interea in sua causa informare, impedimentum allegare non poterit, BART. in l. Idemque erit dicendum, 16. ff. pro socio, n. 16. JOH. MUSCARD. de Probat. Vol. 1. Concl. 468. n. 26. LANGIUS in. Proc. c. 40. n. 71.

§. XVII.

Impeditur etiam aliquis funere domestico, ut pro contumace haberi nequeat. Approbarunt enim leges & illas causas, quibus pietatem erga nostros demonstramus. Hinc jure romano non minus, ac æquitate naturali jubente, exceptio ei datur, qui funere domestico impeditus non venit, VLPPIANVS l. 4. §. 2. ff. si quis caut. in judic. Cum enim etiam alienum cadaver funerare pietatis esse judicetur, VLPPIANVS, l. 14. §. 7. ff. de religiof. THOMASIVS in Dissert. de pietate juridica, C. II. §. 29. seq. multo major debuit favor ejus esse, qui pietatis erga suos causa id facit, multoque magis ex tali ratione emanens in judicio excusationem meretur. Hinc etiam ex more Romanorum prohibita est in jus vocatio eorum, qui cadaver profaciunt, aut funus familiare ducunt, justave mortuo faciunt, CALLISTRATVS l. 3. VLPPIANVS l. 2. ff. de in jus vocand. Præterea æquitatis est, illud negligentia non tribuere, quod amor conjugis vel liberorum causatus est: nihil enim magis actus humanos, memoriaque officia turbare potest, quam tristitia, qua mortales eos, quos dilexerunt, ad quietem comitantur. Inde si vel maxime

xime eo die, quo comparandum est, funus non ducatur, luctus tamen domesticus eandem excusationis effectum operari poterit. Atque ita in causa ardua pronunciatum fuisse testatur LYNCKER in *resol. Jur. Jencus. Cent. VII. resol. 616. p. 133.*

§. XVIII.

PRæterea excusandi causam præbet puerperium, præsens, aut proxime speratum, aut non diu præteritum, l. 2. §. 4. ff. si quis caut. judic. ffl. nec non tempestas ventorum & pluviarum, aut vis fluminis, seu inundatio, l. 2. §. 3. 6. & 7. ff. si quis caut. judic. ffl. l. 4. 5. eod. BRVNN. de proc. c. 4. n. 7. NICOLAI c. 22. p. 379. J. P. W. G. l. 1. t. 14. Die Ergießung der Wässer/ grosse Sturm - Winde/ Vielheit des Schnees/ quin imo iudicium capitale, per l. 4. pr. ff. si quis caut. judic. ffl. locus etiam non tutus, ob bellicas turbas, aut Latrones, M. ANTONIVS de AMATIS in *Decis. cas. 75. n. 71.* CARPZ. JPR. FOR. P. I. *Const. 9. Def. 7.* vel periculum pestis, BERL. P. I. *Conc. 17. n. 56. 58.* MEV. P. 3. *Dec. 169. 152 & 282. n. 4.* Non enim a quoquam iuste postulabitur, ut propter evitacionem contumaciæ sese majori malo, et majori periculo exponat. Inde mitius cum litigantibus agendum duxit VLPIANVS l. 2. ff. si quis caut. in judic. ffl. qui ferè nil in causa absentiaë requirit quam ut illa non a dolo malo, vel culpa, emanentis pependerit. Denique nuptiæ impedimentum præstant; unde si quis illo die citetur, quo nuptias celebrat, impune non pareret, nec contumaciam incurrit, si nec ipse citatus veniat,

at, nec procuratorem mittat, FVLV. PACIAN. *de Probat. l. II. c. 46. n. 33. l. 2. ff. de in Jus vocand.*

§. XIX.

PLura percensere desistimus, secuti Interpretum monitum: impedimentorum omnium specialem relationem non posse institui; hinc arbitrio iudicis illorum determinationem relinquendam esse, vid. ZANGER. *de Except. c. IX. P. II. n. 13.* CARPZOV. *in Proc. Tit. IIX. Art. II. §. 3.* Nunquam enim tam certus eorum numerus iniri poterit, quin temporis ratio noua proferri queat. Quod uti verum, ita simul annotandum, noua impedimenta, si producantur, facile ex dictis dijudicari posse, cum similitum similis sit ratio, & is, qui iurisdictioni præest, ubi in aliqua causa sententia legum manifesta est, ad similia procedere possit, ipsis legibus iubentibus, IULIANVS *l. 12. ff. de LL.* Illud saltem adhuc monendum putamus, a contumacia excusari aliquem, transactione de controversia inita, *l. 2. pr. ff. si quis caut. jud. fist. l. 4. C. de pact. arg. l. 1. C. si adversus transact. l. 22. §. 1. ff. de in Jus voc. O. J. S. R. ad Tit. IV. §. 6.* deinde solutione ab altero e duobus reis facta, *l. 5. §. 1. ff. si quis caut. judic. fist.* tum, si Terminus hodie in Saxonia pro circumducto habetur. Quod tamen ita est intelligendum; si videlicet in primo Termine utraque pars emanferit, cessat quidem pena contumaciæ, plectitur tamen utraque pars pena pecuniaria, quæ in Citatione erat posita, *O. J. R. S. ad Tit. I. §. 4.*

§. 4. fin vero Terminus circumducatur, qui vel prosecutioni Leuterationis, vel justificationi Appellationis erat præfixus, Leuteratio vel Appellatio prodeserta habetur, O. J. S. R. ad Tit. X. §. 3. quin imo, si in Termino publicandæ sententiæ præfixo utraque pars emanat, sententiæ publicatio in contumaciam nihilofecius suscipitur, O. J. S. R. ad Tit. IV. §. 6. Tandem, cessante contumaciæ accusatione, cessat quoque pœna contumaciæ, Contumacia enim ab adversario in termino præfixi temporis legitime est accusanda, Daß der andere des Ungehorsams beschuldiget werde per l. 73. §. 1. ff. de Judic. l. 13. §. 2. C. eod. Autb. Qui semel, C. Quomodo & quando Jud. ibique BRVNN. arg. l. 68. de Judic. l. 4. de accus. ibi: ex una postul. l. 4. §. 8. ff. de damn. inf. PETRVS MÜLLERVS in Dissert. de proc. judic. p. 435. n. 5. GAIL. l. 1. Obs. 55. n. 6. & 7. CARPZOV. de Proc. tit. 8. ort. 1. n. 4. & lib. 2. Resp. 47. n. 1. GOSWIN. ab ES-BACH. ad CARPZOV. Jpr. For. P. I. Consil. 9. def. 15. RICHTER P. I. Consil. 48. n. 29. MEN. p. 5. dec. 290. n. 8. ibi: Ob contumaciam nihil decernitur per Judicem, nisi prius accusatur per partem, & P. 8. Dec. 170. HILIGER ad DONELL. Enucl. l. 23. c. 10. lit. D. GRÆVEN. P. I. Concl. 55. Consil. II. Vid. O. J. S. R. ad Tit. X. §. 1. & 2.

§. XX.

Non vero sufficit has excusationum causas in judicio allegasse, sed probatione opus est, ut effectum

D

fectum

fectum optatum sortiri queant. Enimvero quæ facti sunt, & singularia, ea nunquam præsumuntur, sed tantum communia, & quæ ex rerum natura pendent. Ast vero hic actum de casibus singularibus, subitis, & fato cuiuspiam tribuendis, quos qui allegat, ille probationis onere se liberare non potest. Neque saltem naturalis ratio, quæ fortissima est, hanc probationem exposcit, sed assistunt etiam Leges tum Romanorum, tum Germanorum, quæ eandem requirunt. Sic *ULPIANVS l. 3. ff. si quis cant.* probationem adversæ valetudinis, & *Pontifex INNOCENTIVS III. c. 18. X. de sentent. & re judic.* probationem aliquam iustæ absentiae requirunt. His accedit *SPECVLATOR SAXO Land. N. Lib. II. A. VII.* Welcher eine dieser vier Sachen den Mann irret / daß er zu Beding nicht kommt / wird sie beweist / als recht ist / von einem Botzen / wer der sey / er bleibet es ohne Schaden. Eodem modo Constitutionibus Saxonis Electoralibus, vid. *Chr. Sächs. Proceß- und Gerichts-Ordnung Tit. X. ver-*
ur: in Fall aber der Beklagte u. provisum est, ut legitima impedimenta legitime probentur, quemadmodum & *SERENISSIMI SAXONIAE DVCES nostrorum impedimentorum demonstrationem requirunt, & expresse cavent: Es sollen die Ungehorsamen ehe nicht / als wenn sie die von ihnen etwann angezogene Impedimenta auf nächstfolgenden Termin bescheinen / aus der Ehehaft gelassen werden / Vid. Fürstl. Sächs. gemeine Hoff- Gerichts-Ordn. c. XX. Fürstl. Sächs. Eifennachische Gerichts-Process. Tit. V. §. 3. f. 8. Altenburgische Gerichts-Ordnung*

nung *P. 1. C. IV. §. 2.* Quamvis hodie in nostra Saxonia ad deducenda legitima impedimenta non amplius terminum perculiarem præfigi notandum, ex *O. 1. S. R. ad Tit. X. §. 2.* ideoque necessum erit, ut, Leutatione uel Appellatione interposita, ea adducantur non solum, sed simul etiam probentur, utut non solemnem et ordinariam, sed summariam saltem, quam in foro demonstrationem vocant, sufficientem tamen, requiri putemus.

§. XXI.

Sufficiant hæc, parum quidem pro Lectore, satis vero pro exercitio publico. Utilissima hæc materia, fatemur, plus industriæ sine dubio requisivisset; verum enim vero brevitatis temporis pro lege fuit. Interim faxit Deus, omnis juris auctor & conservator, qui mihi de causis contumaciam legitime excusantibus differenti sua gratia adstitit, ut illegitima justitiæ impedimenta, tam quæ in hominibus, quam extra ipsos constituta sunt, ubique ob reipublicæ bonum vitentur, caveantur, removeanturque!

FINIS.

Quamvis hoc in nobis se-
 rit ad deducenda legitima in pedibus non ampli-
 te certum periculum praestigi notandum, ex o-
 mni causa tamquam deinde necessum est, ut, legi-
 tatione vel Appelatione interposita, ea abdicantur
 non solum, sed simul etiam procedunt, nisi non so-
 lamen et ordinariam, sed summam saltem, quam
 in toto demonstrationem vocant, sufficientem tamen,
 legum puerum.

XXI

Officiis haec, parum eidem proleatore, suis re-
 no pro exercitio publico. Uniusque haec puerum,
 tantum, sua indolentia sine debito reponit, sicut veterum
 enim vero praevias temporis pro lege sua. Interim
 facta Deum, omnis iuris actor & conservator, dei mi-
 hi de causis contumaciam legitime exspectabis esse.
 tantum gravis agitur, ut legitime iustitiam impedi-
 tione, tamque in hominibus, quam extraneis
 constituta sunt, iudice ob reprobis so-
 dum videntur, caventur, removeantur
 iudice

F I N I S



ULB Halle

004 503 04X



3

TA 706 u1+r
din







Q. D. B. V
DISSERTATIO JURIDICA

DE

CAVSIS
CONTVMACIAM
EXCVSANTIBVS

QVAM

SVB PRAESIDIO

JOH. GODOFREDI KRAVSI, D.
STIT. IMPER. P. P. CVRIAE PROVINCIALIS
ABINATVS ET FACVLTAT. JURID. WITTEM-
BERGENSIS, NEC NON JVDICII PROVINCIALIS
IN MARCHIONATV LVSATIAE INFERIO-
RIS ASSESSORIS

IN ALMA LEVCOREA

DIE XXVIII. SEPTEBR. 1729

PLACIDO ERVDITORVM JVDICIO

SUBMITTIT

RESPONDENS

CHRIST. GODOFREDVS HOFFMANN,
FRAVENSTEIN-MISN.

WITTEMBERGÆ, EX OFFICINA SCHLOMACHIANA.

